1014.

VIII, 44

S. Accepi tuas literas mi suavissime uniceque colende Blaurere, una cum
pecunia die 23.a huius per Henrichum Lecterum, idque ea hora qua casus
utrique nostrum permolestus accidit, quem me te celare diutius, cogit cum mea
erga te fides tum ipsa ~~[illegible]~~ summa necessitas. Et quamquam dolorem et insti-
nde iracturum esse, novi, nihil tamen dubito, spiritum Domini virtute
consolandoque mitigatum iri, et consilio certo sanari malum posse adeoque
ad finem auspicatum exiturum quod evenit. ~~[illegible]~~ idque eius benignitate et
providentia, qui et nostra mala novit ad sui nominis gloriam electorumque
salutem convertere. in quam et ego solum respiciens erigor. Sic
autem habet rei totius historia. Corvinus tuus gnatus, cum sicut
usu venit in compluribus, natura quadam vehementia ad dissolutio-
nem inclinaret, cohiberi tamen disciplina, ne in flagitia intermio-
ra aptius erumperet. neque is adeo se nobis importunum praestitit, ut
non tolerari posset. Sed accidit ~~a~~ ea qua tuas accepi die, ut a lectio-
ne pomeridiana, cum meo nepote et aliis duobus Rhetis me igno-
rante, merendam in Collegio superiore sumerent, idque cum facile
intelligebat clam me fieri posse, quod ea hora fratrum convocatio
in destinata esset. et quod evenire solet, cum seorsim convivia
iuvenes agitant, indulsit ille vino intemperantius, quia quatuor
illi tres mensuras absumpserunt. neque tamen adhuc apparebat in
illo, cum a convivio in Lecterum incidisset. literasque ab eo tuas
me ante domum spectante accepit. ullum ebrietatis in ipso ve-
stigium. Verum cum vellem ex tuo iussu, ~~[illegible]~~ tua ad eum ~~[illegible]~~
epistolam, ~~[illegible]~~ coram ipso praelegere, exque singulis capitibus quae
cohortationis et commonefactionis sumere occasionem, animadverti

23.

indicijs nimis manifestis vino se ingurgitasse adolescentes. grauiterque perturbatus iussi in cubiculum secedere. et in Collegium mox me contuli in quo re omni explorata, compertum porrectum ab Oeconomi Uxore vinum, contra edictum Academici magistratus. Per tota ea nocte mihi magnopere certandum in verbis quidem censui. qua sic tum anxiebar, ut insomnem fere totam deambulando transigerem. Ad auroram autem cum surrexissent, serio verbis increpare utrumque adolescentem coepi, et inter caetera aperire, deberi tanto delicto poenam, et siquidem deinceps tale admitterent, effecturum me ut reipsa cognoscerent, suae temeritatis flagitia me ex animo detestari. et quia Gernicus procaciter respondere videbatur commotus alapam dedi, sicut et Nepoti. quod ab alijs ipsos invitatos esse mentitus. Inde vero iussi eos Concionem sacram quae imminebat, adire, ad deprecandum Dominum, pro negligentia et consilio. ratus id facturos. quos et ego paulo post sequebar. Verum illi sive metu castigationis alicuius, quam non meditabar, severioris, sive instigatu Satanae, fuga se subduxere, nullis vel vestibus vel pecunijs instructi ad peregrinandum. Ego igitur cum neque in templo a dimissa Concione, neque alibi eos reperire posse, suspicatus, quod res erat, aufugisse, illico apud D. Iungium charissimum fratrem querelam deposui, et consilium contuli. moxque quod consultissimum videbatur portas civitatis lustravi, percunctantibus ubique custodibus eos visos esse, nisi quod duo alij iuvenes, per eam portam egressi, quae Balneas [illegible] spectat, in quibus Diethelmus meus agit. opinionem faciebat, eam se ad sodales proripuisse. Quare ut commodior eos revocandi ratio esset, Iunium rogavi ut illico equites sequeretur, quod haud gravatim ille in tuam nepotisque gratiam fecit. Verum reversus significavit ibi visos non esse. Ad alia ergo itinera

dictis equites emisi. Rinfeldiam et Dornach, usque et illud oppidum quod vers.
Louffen dicitur. ubi in pago Rinach, cognovi eos Sabbato non multo post a suo a nobis discessu, festinanter scripto [illegible] transisse. Unde factum est, ut versus Alsatiam nemine miserim, atque animum receperim, quod non dubitarem iam illos ad vos perrexisse, et fugam remotiorem non meditari. et quoniam rebus adhuc consilij opus esse posse ut quid in mora esset. visum est proprium tabellionem ad te mittere quo negocium omne cognosceres. et si in conspectum forte tuum non venissent de eo inquirendo cogitares. aut si venissent commodius quas agere pro tua prudentia. Et quamquam me quidem hic casus utpote hactenus insolitus vehementer commovisset, eo tamen refero quod non dubitem huiusmodi paroxysmo, excitatos iri ad exquisitam magis per omnem vitam cautionem. ut utique discant suam ipsorum salutem cum timore et tremore operari. Neque enim resurgit in altum, qui non cecidit profunde. De meo in utrumque affectu nihil dico. ut quos non secus atque ex me natos filios semper dilexi et diligo. eorumque profectui favi. et si quid peccatum a me est, in poenis, in eo fuit, quod et variores
[forte] et clementiores inflexerim. Precor autem aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut sua protectione hos adolescentes misericorditer ab omni malo eripiat. et sub alarum suarum umbra constituat et curet. Scripsi et ad fratrem meum Bernam. verum eas literas si forte Gernicus et ille reversuri sunt ad me. apud te retineas vel mihi remittas. si vero [illegible] vel [illegible] non sunt aut alio se [illegible] contulit. si alius non occurrit tabellarius per praesentem latorem. Bernam perferendas cura

Sed vale in Dno cu' uxore et familia. Salutat te mea uxor cu' multis lachrymis. Basil. 26. Aug. Anno 1555.

De reliquis alias.

Tuus totus
Sulcerus

Viro multis nob. mihi colendiss. D.
M. Ambrosio Blaurero
Dno et symmystae charissimo.

26 Aug. 1555

0960220

Simon Sulcerus
Anno 1555
Mensibus Julio et Augusto.